



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XIV. Explicatur denuo 1. Mach. 12. 21. in quo agitur de Judaeorum & Spartanorum consanguinitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

acceperat, ad Herculem quisque suum referret; sed Græci præcipue, gens mendax & fabulis ferendis nata. Cum ait ergo Herodotus se Tyri accepisse, Herculis templum, quod illic extat, simul cum ipsa urbe fuisse conditum; Tyrum intellige Alexandri obsidione nobilitatam, quæ Trojano excidio non multo vetustior fuit, Josua vero longe recentior, non vero Palætyrum, cujus fit in ipso Josuæ libro mentio. Opinionem nostram plurimum juvat Pausanias, cum narrat Herculem Idæum, sive Creticum, Tyri templum habuisse, ac Bæotia ignotum non fuisse. Unde facilis existimatio est, Tyrium Herculem, Creticum, & Thebanum unum esse. Thasii quoque Herculis templum Tyri fuisse docet Herodotus; Pausanias vero Thasios Herculem eundem coluisse ac Tyrios. Magnificum illud Gaditanum templum Herculi Tyrio Phœnices condidisse & res ipsa clamat & docent Appianus & Arrianus. At idem Ægyptio Herculi fuisse extructum scribunt Philostratus & Pomponius Mela. Ægyptium Herculem patria lingua Chona dictum venisse in Italiam & nomen Chonibus dedisse legitur apud Phavorinum in Lexico. Is, si quid conjectura valeo, idem est ac Hercules Tyrius, sive Chananæus. Nam Stephanus Phœnicen perhibet appellatam fuisse *Χηνα*, & Phœnices *Χηναίους*; & Sanchoniathonis Interpres Philo Byblius Chna primum Phœnicem cognominatum esse scribit. Chna autem manifesto est *Χηνα*, Chanaan. Itaque Herculem Chona, qui Ægyptius dicitur, liquet eundem esse ac Herculem Chnaum, sive Chananæum.

Herod. libr. 2. cap. 44.
Pausan. Bæotia.
Herod. libr. 2. cap. 44.
Pausan. Eliac. 1. Appian. Iberic. Arrian. Exped. Alex. libr. 2. Philostr. Vit. Apoll. 1. 2. c. 14. Pomp. Mel. libr. 1. cap. 6. Phavor. in *Χηναίους*. Steph. in *Χηνα*. Phil. Bybl. apud Euf. Pr. 1. t.

XIV. Jam vero munita nobis est via ad enodationem perdifficilis & vexatissimæ quæstionis, quæ oritur ex priore Machabaico, in quo Sparta rex Arius Onia summo Judæorum Sacerdoti scribit, ex libro quodam didicisse se Judæorum fratres esse Spartanos, & utroque Abrahami esse nepotes. Quamquam probabili conjectura supra ita explanata est hæc quæstio, ut hæc expositio nostra nemini non possit sufficere; aliam nihilominus simpliciore, & veri etiam, ne quid dissimulem, mea sententia aliquanto propiorem hic proponam. Lectori per me, utram volet, persequi fas esto. Constat Lacedæmoniorum reges, ac proinde Arium hunc, ad Herculem genus suum retulisse: quemadmodum fabulosa fere sunt initia vetustarum ac nobilium familiarum, & olim in Græcia generosius quisque ac natalibus clarus Deum aliquem stirpis suæ auctorem jactare solebat. Herculem autem quemdam Tyrium, necnon & Ægyptium Herculem pervulgata hominum fama celebrari ignorare non potuit Arius, re tot indicis expressa. Hos, ipsumque adeo Thebanum, non multos ac diversos, sed unum & eundem fuisse hominem, eumque Judæum, ex libri alicujus lectione, & ex rei veritate certior Arius fieri potuit; atque ita se Judæis, ipsoque Abrahamo oriundum, ac Judæorum fratrem reputare. Dices scripsisse Arium Spartanos & Judæos fratres esse, atque eo non Lacedæmonios solum reges, sed totam gentem significari. Respondeo numerosam fuisse & amplam regiam Heraclidarum familiam; teste Plutarcho, cujus verba hæc sunt: *ἦν ἀναμειχθῆσαν δωρεῶν Ἡρακλειδῶν, καὶ κρηθλιῶν εἰς Πελοπόννησον, πολὺ μὲν ἐν ἀσπίδι καὶ λαμπρῶν ἄνθρωποι ἦσαν.* Ex Heraclidis, qui Dorienibus permixti sunt, & in Peloponnesum redierunt, ampla Sparta & clara gens floruit: in eaque, ut pote præcipua ac nobilissima Spartanæ gentis parte, totam gentem potuisse comprehendere; præsertim cum orti essent ex ea Reges ipsi; totius autem Republicæ personam Rex sustineat: Est enim, inquit Cicero, *proprium munus magistratus, intelligere se gerere personam civitatis.* Alia præterea conjectura nodum hunc solvere promptum esset, si fidem aliquam possemus iis adjungere quæ de Lacedæmonis origine ab Honorio Augustodunensi tradita sunt. Scribit ille libro tertio de imagine mundi, tempore Moïsi Lacedæmonem à Cecrope fuisse conditam. Cum autem Cecropem esse Moïsem supra demonstraverim, dicerem Arium ea re deprehensam, Moïsem urbis suæ conditorem, gentisque auctorem credidisse, atque hinc esse ratum unam eandemque fuisse Spartanorum ac Judæorum originem. Verum Honorii illius auctoritati parum tribuo, mihi que Sparta cum Athenis à Cecrope conditis videtur confundere.

Explicatur denuo 1. Mach. 12. 21. in quo agitur de Judæorum & Spartanorum consanguinitate.
Plutarch. in Lyiand.
Cicer. Offic. libr. 1.

